

mittitur, nisi ex hoc aliud damnum proveniat; ratio, quia ferae minime habendae sunt ut fructus fundi.

Resp. 2^o *Affirm.*, si fundus sit omnino clausus, ita ut ferae non possint inde exire, et *facile capi ibi queant*; quia hae tunc censentur amississe libertatem suam et ad fundi dominum pertinere. — Lugo, disp. 6. n. 72.

QUAER. 3^o *An dominus fundi accipere possit praedam ab alio occisam, vel impedire, ne ab illo capiatur?*

Resp. Neg. ad utrumque; quia quamvis dominus habeat ius impediendi, ne alter venetur in suo fundo, fera tamen occisa ad occisorem pertinet (9). Dominus tamen habet ius ad compensationem pro damno, quod venator forte intulerit. — Lugo, n. 70.

§73. QUAER. 4^o *Cuius sit fera laesa, vel laqueo capta?*

Resp. ad 1^{um} Est vulnerantis, si laeserit illam quantum satis est ad ipsam capiendam, et sit moraliter certus, eandem se facile apprehensurum; sic enim eam moraliter iam apprehendit. — S. Lig. *Hom. apost.* n. 71. — Lugo.

Resp. ad 2^{um} Est eius, qui laqueum posuit, si ita laqueo capta sit, ut non sit evasura; ratio, quia per ipsum instrumentum satis occupatur. — S. Lig. n. 604.

QUAER. 5^o *An quis occidere possit columbas alienas agro suo nocentes?*

Resp. 1^o Neg. si non inferant damnum grave, vel si facile abigi possint. — *Ita communiter.*

Resp. 2^o Affirm., iuxta communem sententiam, si *graviter* noceant; quia fas est unicuique rem propriam servare, etiamsi exinde alteri sequatur *indirecte* damnum aequale illi, quod vult *directe* a seipso avertere. Columbae autem non praesumuntur graviter nocere, nisi tempore messis aut seminum. — Lugo. — Billuart. — Elbel.

QUAER. 6^o *Si quis extrahat alterius ovem ex ore lupi, potestne eam sibi propriam facere?*

Resp. Neg., quia ovis etiam in ore lupi *clamat ad dominum*, pergat scilicet esse in eiusdem dominio, etsi certo amittenda, nisi ab alio salvetur. Idem dicendum est de eo, qui rem quamlibet extrahat ex incensa domo, etiamsi ibi certo esset peritura. Attamen si damnum aliquod passus fuisset, huius compensationem exigere posset, nisi damnum valorem rei superet.

(9) Si tamen fera capta sit laqueo, quem quis, invito fundi domino, posuerit, videtur dominus posse praeda potiri, ratio est, quia sicut ius habet, ne ingrediaris ad

laqueum ponendum, ita etiam ut ne ad eximendam quidem feram introeas. Posset igitur ipse feram dimittere; sed dimittentem plane potest occupare. Ergo.

§74. *Resolves.* — 1^o Examen apum, quod ex alveo tuo evolaverit, eo usque tuum est, quamdiu in conspectu tuo remanet, nec difficilis tibi evasit ipsius prosecutio. Aliter fit primi occupantis. Ex Iure Gallico pertinet ad dominum fundi, in quo constitit (*).

2^o Columbae fugientes proprio motu, quin fraude attractae sint, fiunt eius, in cuius columbario sedem figunt. Secus si fraude, v. gr. cibo omnino extraordinario, seu valde exquisito attractae fuerint. — Lugo, disp. 6. n. 42., etc. (**).

3^o Venator egrediens terminos suos, et vicina aliorum loca adiens, ordinarie non peccat; quia vicini proprietarii hoc sciunt, ipsique vicissim idem faciunt, contenti muleta, si deprehendant. — Reuter.

4^o Qui a Gubernio emit ius in flumine quopiam piscandi, non potest iure isto privari sine iniustitia; unde teneretur ad damnum illatum compensandum, qui tantam piscium multitudinem caperet vel destrueret, ut emptoris ius notabiliter laederet; secus autem, si non tam multos pisces caperet; quia ius locatarii non inde vilius redditur, neque singulos pisces rigorose attingit, cum hi e loco exire valeant, vel ibi non sint certo capiendi. — V. *Casus*, n. 510. et seq.

Gubernium in Gallia locat ius piscandi in fluminibus navigabilibus. In caeteris hoc ius pertinet ad proprietarios adiacentes. Ubique tamen linea proiectili piscari licet.

PUNCTUM II. — *De inventione.*

§75. — Quadruplicis generis distinguuntur bona, quae inveniri possunt, scilicet *thesauri, res nuper amissae, bona derelicta, et bona vacantia.*

Thesaurus, ex Iure Rom., est summa pecuniae abscondita, cuius memoria non exstat. — Attamen ex communi interpretatione, nomine thesauri veniunt etiam aliae res pretio aestimabiles, quae infossae reperiuntur. — Ex Iure autem Gallico thesaurus est res quaecumque abscondita, vel infossa, quam nemo probare potest esse suam, et quae casu invenitur (**).

(*) Ex iure italico omnis proprietarius examinis apum ius habet eas insequendi per alterius fundum, cum obligatione tamen compensandi damna illata possessori fundi. Si proprietarius eas intra duos dies non sit insecutus aut ab insectatione spatio bidui cessaverit, potest possessor fundi capere examen et retinere sibi, art. 713.

Idem ius, nempe insequendi competit proprietario animalium mansuetorum, integra tamen manente dispositione art. 462. (cf. haec sub n. 2^o): ipsa autem animalia

eius eruat qui ea reperit, nisi intra viginti dies a domino repetantur art. 713. §. 1.

(**) Ex iure italico, columbae, cuniculi, pisces, qui transeunt ad aliud columbarium aliam caveam vel piscinam, acquiruntur proprietario loci, dummodo eo attracti non fuerint artificio aut fraude. C. C. 462.

(***) In iure italico thesaurus est quodlibet obiectum mobile, pretiosum, quod occulto in loco iaceat aut sub terra lateat, cuius se esse dominum nemo probare possit. C. C. art. 714. §. 1.

Res amissae eae dicuntur, quae a domino involuntarie relinquuntur. A thesauro differunt, quia non sunt absconditae neque infossae, sed ordinarie sunt recenter perditae.

Bona derelicta ea sunt, quae dominus abiecit cum animo non amplius ea possidendi. Bona autem vacantia dicuntur ea, quae a moriente absque testamento et heredibus relinquuntur.

§76. Principia. — I. Thesaurus ab ipso fundi domino repertus, totus cedit inventori. Thesaurus vero in alterius fundo inventus, ex iure positivo (quidquid sit de iure naturali) inter proprietarium fundi et inventorem aequae dividi debet, si fortuito repertus sit; si autem ex industria, et inscio fundi domino, atque adeo sine huius consensu, huic totus cedit, post sententiam tamen iudicis (10). — *Ita Ius Rom. et Gall.* — Thesaurus autem in loco publico inventus dividi debet inter inventorem et fiscum, si locus sit *profanus*; et inter inventorem et fabricam aut Praelatum, si locus habeatur ut *sacer*. Sic *de Iur. Rom.* Sic etiam supponere videtur Ius Gallicum, quia locus publicus revera ad aliquem dominum pertinet (11), nempe vel ad Rempubicam, vel ad mu-

(10) Verba ista Auctoris, *post sententiam iudicis*, non sic accipias, quasi citra huiusmodi sententiam nihil domino fundi debeatur. Nam ante omnem iudicis sententiam vi legum inventor dimidiam partem domino fundi ex conscientia tribuere tenetur. Iudicis ergo sententia expectari potest quoad alteram partem, quae inventori cedit, quando fortuito thesaurus reperiat; cum enim inventor hac privetur in poenam criminis, atque adeo lex ista videatur poenalis, idcirco non videtur ista obligare ante sententiam iudicis condemnatoriam, prouti communiter tenent Doctores.

(11) Non videtur insistendum huic rationi, sed potius legum decretis, quae habentur in *Instit. de rer. divis.* §. *Thesaurus*. Ratio est, quia si respublica v. gr. gereret *vices domini*, servandae forent leges communes de parte, quae ad fundi dominum *pro diversis casibus* pertinet, et sic v. gr. totus thesaurus cedere deberet fisco, si de industria et insciis magistratibus quaesitus fuisset. Atqui lex nulla facta horum casuum distinctione,

dimidiam partem sine exceptione inventori attribuit. Ita Card. De Lugo (*De Iust.* disp. 6. n. 115.) ubi allatis ex Iustiniani Institutionibus (*De rer. divis.* §. *Thesaurus*. 39.) hisce verbis: *Si quis fiscali loco, vel publico, vel civitatis, thesaurum invenerit, dimidium ipsius esse, et dimidium fisci vel civitatis*, merito subdit: *Quod intelligitur sive fortuito sive ex industria inveniat: in hoc enim casu nulla fit differentia*. Alia autem iura, quae adversus hanc sententiam opponit Molina (*De Iust. et Iur.* tract. 2. disp. 56. n. 2.), ipsam potius confirmant. Etenim *L. unic. C. De Thesauris*, et *L. Si is qui* 63. ff. *De acquirendo rerum dominio*, nihilo plus habent, quam allatus ex *Institut.* textus. Quemadmodum igitur de hoc ratiocinatur Lugo, de illis ratiocinari cuique licebit. Huic legis dispositioni quidpiam additur in *L. Non intelligitur* 3. §. *Deferre* 12. ff. *De Iure fisci*, in haec verba: *Qui autem, cum in loco fisci thesaurum invenerit, et partem ad fiscum pertinentem suppresserit, totum cum altero tanto co-*

nicipium, aut Ecclesiam. — Gousset, *Code commenté*, art. 710. (*).

II. Res nuper amissae domino, si inveniatur, reddi debent, quia amissionis factum non est titulus ad dominum re sua spoliandum. Insuper iuxta axioma ab omnibus receptum, *ad retinendum sufficit sola intentio; ad occupandum autem requiritur realis apprehensio cum legitima habendi intentione*; atqui nemo habere potest *intentionem legitimam* accipiendi vel retinendi sibi rem, quam scit ad alium dominum cognitum pertinere; igitur ipsi restituere illam debet. Hinc effatum: *Res clamat ad dominum* (12) (**).

gitur solvere. Atqui haec aperte contra Molinae opinionem faciunt. Nam a regula tribuendi fisco dimidiam tantum partem unicum excipitur crimen suppressae partis ad fiscum pertinentis. Ergo ex notissimo effato: *Exceptio firmat regulam*, etc., confirmatur Lugonis sententia, quoad thesauros in loco publico inventos nihil interesse, sive fortuito reperiantur, sive ex industria insciis magistratibus quaesiti fuerint.

(*) Ex iure italico thesaurus totus spectat ad proprietarium fundi, si ipse invenit. Si in alieno fundo reperitur dummodo solum ex casu fortuito repertus sit, inter inventorem et proprietarium fundi ex aequo est dividendus art. 714.

(12) Circa rem a quopiam, sive noto sive ignoto, amissam, quam forte reperias, multiplex adesse potest obligatio.

Nam 1^o obligare te potest charitas ad curam rei suscipiendam, si praevideas, secus rem quomodocumque domino perituras.

2^o Itidem charitas exiget, ut, si quando tibi constet de re ab alio aut inventa aut amissa, id aliis aperias, quando prudenter iudices, id profuturum, ut res in manus domini redeat.

3^o Si rem forte inventam ipse accipias, ex iustitia teneris imprimis diligentem rei curam gerere, eamque custodire. Cuius quidem obligationis mensuram ex iis deducere pronum est, quae DD. communiter tradunt de illa specie *quasi-con-*

tractus, quae *gestio negotiorum* dici solet. Qua de re vid. Molina *De Iust.* tom. 2. disp. 553. 554.

4^o Pariter si ignotus tibi est rei dominus, ex iustitia teneris rem non occultare; quam obligationem violabis, non modo si caute rem ita abscondas, ut rescire dominus non possit, rem apud te latere, sed etiam si media idonea non adhibeas ut notitia rei apud te existentis ad dominum perveniat.

(**) Ex iure italico, qui reperit obiectum mobile, quod non sit thesaurus, restituere debet praecedenti possessori: quem si ignorat debet absque mora tradere Syndico loci ubi obiectum repertum est.

Syndicus traditionem sibi factam deferat in publicam notitiam consueta forma publicae manifestationis, quam duobus dominicis diebus se immediate excipientibus iterabit.

Exactis duobus annis a die secundae publicationis, quin proprietarius compareat, res vel eius pretium, (si vendere eam oportuit ne periret) spectat ad inventorem.

Tum proprietarius tum inventor rem vel eius pretium recipientes, solvere debent expensas factas pro eius conservatione.

Proprietarius vero solvere debet inventori si hic postulat, titulo praemii, decimam partem summae aut pretii rei inventae: si tamen summa aut pretium excedat bis mille libellas, praemium pro tali excessu erit tantum pars vigesima art. 715-718.

III. Bona derelicta et vacantia de iure naturali *primi occupantis* fiunt. Ratio, quia nullum amplius dominum habent; cedunt ergo primo occupanti, haud secus ac illa, quae nunquam dominum habuerunt. — *Ita communissime theologi.* — De iure autem positivo communiter Reipublicae tribuuntur (C. C. 539.). Hoc tamen ex consuetudine ad sola immobilia restringendum videtur, saltem ante iudicis sententiam. — Carrière, n. 285. et 343., *post plures iurisperitos* (*).

577. **Quaesita.** — QUAER. 1^o *An qui suspicatur, in agro esse thesaurum, et illum emit communi pretio, thesaurum ibi inventum totum sibi retinere possit?*

Resp. Affirm. Quia thesaurus ille, cum non sit pars fundi, et lateat, non auget illius valorem. — S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 5. — Lugo, d. 16. n. 126. — Billuart, etc. contra *alios*.

QUAER. 2^o *An opifex, qui in domo aliqua laborando invenit in quodam angulo parietis vel in arca veteri summam pecuniae, illius partem retinere sibi possit?*

Resp. Disting. Si adsint vestigia, ex quibus iudicetur, pecuniam hanc esse cuiuspiam personae vel familiae, tota huic reddi debet; quia pecunia haec reputanda est ut bonum nuper amissum; secus dimidiam partem sibi retinere potest, quia tunc rationem thesauri habere videtur.

578. — QUAER. 3^o *An inventor rei amissae, eam sibi retinere possit, si diligentia sufficienti adhibita, dominus non compareat, nec sit spes ulla ipsum inveniendi?*

Resp. I^a SENTENTIA *negat*, et censet rem inventam tunc esse pauperibus, vel aliis usibus piis impendendam. Ratio est, quia dominus, solo amissionis facto, ius in rem suam non amisit; si autem remanet dominus, res illa impendi debet eo modo, quo velle praesumitur: porro haec eius voluntas praesumenda est, ut res in eiusdem utilitatem meliori modo impendatur, et consequenter in pia opera erogetur. — Billuart, diss. 4. art. 2. §. 6. — Collet. — Habert, etc. (13).

(*) Ita in iure italico bona, quae nec alicuius privati sunt nec alicuius communitatis sive instituti publici seu corporis moralis sive municipii sive provinciae, pertinent ad dominium publicum vel patrimonium status art. 425.

Idecirco haereditas, cuius nullus sit heres, devolvitur ad patrimonium Status, art. 758.

(13) Prorsus huic opinioni debetur, quod saeculo elapso in quibusdam dioece-

sibus lege cautum sit, ut si quis rem invenerit, saltem quae superet 12 franc. valorem, denunciare id debeat Episcopo, ut hic de usu ipsius rei decernat; quasi scilicet certum ratumque foret, rem sic inventam palam et notorio iure esse in bonis ad pia opera destinatis, quorum administratio ad Episcopi sollicitudinem et auctoritatem spectet. Atqui praeterquam quod eam opinionem S. Alphonsus (lib. 3. n. 603.) ne satis quidem probabilem habet

I^a SENTENTIA *probabilior affirm.* Ratio est, quia res illa tunc pro derelicta habenda est. Quippe in hypothesi licet dominus non dimittat seu abdicet dominium proprie dictum in rem suam, penitus tamen amisit facultatem re sua utendi, et de ea disponendi, atque adeo res desinit esse in eiusdem dominio. Non est igitur quaerenda voluntas prioris domini, utpote qui amisso moraliter dominio, nihil de ea disponere potest. Ergo res illa moraliter ut derelicta habenda est; ergo *primi occupantis* fieri potest. — Ita S. Lig. n. 603., *ubi dicit hanc esse sententiam veriore* (14). Lugo, disp. 6. n. 140. — Lacroix, n. 80. — Elbel, n. 171., etc.

579. — QUAER. 4^o *Quid agendum, si tandem dominus compareat, quando res fuit in pios usus impensa vel consumpta?*

Resp. 1^o Si in pios usus impensa vel consumpta fuit, quando dominus censebatur iam non amplius inveniri posse, nulla facienda est restitutio, quia res pro derelicta haberi iure poterat, et proinde a primo occupante fuit legitime acquisita.

Resp. 2^o Si in pios usus impensa vel consumpta fuit, cum adhuc spes affulgebat inveniendi dominum, tunc damnum est reparandum. Ratio est, quia in casu vel res conservanda erat, vel saltem eius pretium (15), cum adhuc dominium maneret penes dominum. — S. Lig. n. 590. 603.; *Hom. apost.* n. 69. — V. *Casus*, n. 516. et seq.

(nam oppositam appellat *veriore*), Vasquez (*De Restit.* cap. 5. §. 4. dub. 1. n. 12.) affirmare non dubitat, irrationabilem esse consuetudinem, qua Episcopus sibi reservet constituendum modum, quo restitutio per usus pios fieri debeat, etiam cum de veris debitis incertis agitur; a fortiori autem id de casu nostro dicendum foret, quando probabilius est, nullum restituendi debitum existere.

(14) S. Alphonsus reipsa non omnino hanc sententiam tenet, sed tertiam quandam, quae dum partim primae, partim secundae accedit, non satis sibi constare videtur.

(15) Difficultas est, quousque res aut pretium eius servari debeat, tamquam ad priorem eiusdem dominum adhuc pertinens; quam quidem difficultatem ne illa quidem solvunt, quae S. Alphonsus post Card. De Lugo disputat. Ea de re illud satis manifestum est, iudicium prudens de spe reperiendi rei inventae dominum

abicienda vel non abicienda, a circumstantiis plurimum pendere, ac proinde temporis mensuram variam pro earum varietate esse.

Duo autem videntur non omittenda. Unum est, paulo severiorem videri normam, quam insinuare videntur quaedam Card. De Lugo verba (*De Iust.* disp. 6. n. 139.), quasi expectandum sit, quousque inveniendi dominum adsit aliqua non quidem probabilitas sed possibilitas utut fortuita, adeo ut spes tunc solum abiciatur, quando non nisi ex miraculo inveniri dominus possit. Ratio est, quia prudens actionum humanarum norma desumi ex communiter contingentibus, non vero ex fortuitis et extraordinariis solet et debet.

Alterum est, normam aliquam suppeditari a quibusdam codicibus civilibus, qui decernunt generatim, ut quoties adhibita sit praescripta diligentia ad quaerendum rei dominum, hoc post biennium non apparente, res inventori cedat. Elsi enim

PUNCTUM III. — *De praescriptione.*

580. — Praescriptio est ratio seu ius aliquod positivum acquirendi dominium, aut se liberandi ab aliqua obligatione per certum temporis lapsum, positis conditionibus a lege praefixis (*C. C.* 2219.).

Hinc duplex distinguenda est praescriptio: altera *acquisitiva*, per quam res aliqua aut ius aliquod acquiritur; altera *liberativa*, quae ab aliqua servitute vel aliquo onere liberat.

581. **Principia.** — I. Lex humana potest vi praescriptionis dominium rerum ab uno in alium transferre, etiam sine domini consensu. Ratio est, quia id non modo utile est, sed plane necessarium ad bonum commune societatis, ad praecavendas nimirum vel dirimendas lites, quae alioquin saepius orirentur ex incerto possessionis iure. Aliunde aequitati naturali non repugnat, cum ante omnem eventum lex constituta sit, et hoc ipso omnibus et singulis parem lucri damnive sortem exhibeat. — *Ita generatim Canonistae et Theologi.* — Gousset. — Bouvier.

II. Praescriptio debitis vestita conditionibus transfert dominium in conscientia. Constat ex sensu genuino verborum quibus lex fertur. Dicitur enim *dominium transferri, acquiri*, etc. Aliunde auctoritas humana finem intentum, nempe publicam securitatem et conscientiarum pacem, nullatenus obtineret. Constat insuper ex Iure canonico, quod vim praescriptionis etiam pro conscientiae foro recognoscit.

III. Quinque haec ad legitime praescribendum requiruntur, scilicet res praescriptibilis, possessio, tempus requisitum, titulus, bona fides. Hinc vulgares versiculi:

Non usu capies, ni sint tibi talia quinque:
Si res apta, fides bona, sit titulus quoque iustus,
Possideas iuste completo tempore legis.

Pauca de singulis dicemus.

I. *Res praescriptibilis.*

582. — Ea omnia et sola generatim praescribuntur, quae sub dominium et commercium privatum veniunt, et ad quorum acquisitionem dari potest titulus legitimus (*C. C.* 2226.). — Etenim cum finis praescriptionis sit dominium transferre ex auctoritate legis, talis translatio

lex ista alicubi non vigeat, cum tamen haberi ut prudentiae dictamen possit, merito quis inferet, biennio post diligentias idoneas adhibitas elapso, posse inventorem de re tamquam sua ita disponere, ut sive eam absumpserit, sive possidendo ut suam praescripserit, ad nihil, etiam comparente dein forte domino, teneatur.

fieri nequit de re, quae ex natura sua, vel ex legum dispositione in dominium privatorum venire non possit. — Hinc res sacrae, ut Ecclesiae, coemeteria, iura ecclesiastica, necnon ea quae sunt domini publici stricte sumpti, ut plateae, viae, etc. (*), praescribi nequeunt (16).

II. *Possessio.*

Possessio dicitur detentio rei nomine proprio, vel iuris alicuius exercitium (17). Haec possessio requiritur ad praescribendum (18). Constat

(*) In iure italico bona patrimonialia Status (discernenda a demanialibus, quae sunt publicae utilitatis et inalienabilia c. c. ad 426.-430) obnoxia sunt praescriptioni art. 2114. et alienari possunt art. 430. Et generatim statuitur, praescriptionem non habere locum in iis rebus, quarum non est commercium art. 2113.

(16) Ita iura, quae rebus non aptis praescribi addunt et *hominem liberum* (*Inst.* §. 1. *De Usucap.*): *Aliquando etiam si maxime quis bona fide rem possederit, non tamen illi usucapio ullo tempore procedit: veluti si quis liberum hominem, vel rem sacram, vel religiosam... possideat.*

His ex iure communi addendae sunt *res furtivae* aut *vi possessae*. Ita Iura (*Inst.* §. 2. *De Usucap.*): *Furtivae quoque res, et quae vi possessae sunt, nec si praedicto longo tempore bona fide possessae fuerint, usucapi possunt. Nam furtivarum rerum lex duodecim tabularum et lex Atinia inhihent usucapionem, vi possessarum lex Iulia et Plautia.*

Neque solum de furibus id intelligendum est, sed de aliis quoque, ad quos res furtivae devenerint. Sic *Inst.* §. 3. *De Usucap.*: *Quod autem dictum est, furtivarum et vi possessarum rerum usucapionem per leges prohibitam esse non eo pertinet, ut ne ipse fur, quive per vim possidet, usucapere possint (nam his alia ratione usucapio non competit, quia scilicet mala fide possident), sed ne ullus alius, quamvis*

ab eis bona fide emerit vel ex alia causa acceperit, usucapiendi ius habeat. Hinc illud, *rem vitiosam esse, et vitium cum re transire* (L. 11. c. *De acquir. et retin. Poss.*). *Vitia possessionum a maioribus contracta perdurant; et successorem actoris sui culpa committatur.*

Quod vero Auctor de hoc rerum furtivarum aut vi possessarum vitio sileat, id tribuendum est indoli codicis gallici, qui (sapienter, nec ne, alii iudicent) damnum, a furibus illatum, legitimo potius rei domino, quam postremo eiusdem possessori subeundum decrevit.

(17) Hoc est, quod communiter appellari solet possessio *impropria*, seu *quasi-possessio*; nam proprie *possessio* dici consuevit solum de corporalibus rebus, non autem de incorporalibus, cuiusmodi est v. gr. ius eligendi, venandi, servitutum, etc.

(18) Triplex a DD. distinguitur possessio, *naturalis* nempe, *civilis*, et *mixta*. *Naturalis est* (ut exacte habet Schmalzgr. lib. 2. tit. 12. n. 4.), *cum quis rem quidem possidet corporis et animi adminiculo* (rem nempe apprehendit, eique insistit, ut eam tamquam suam capiat, habeatque); *alius tamen praeterea rei possessionem civilem retinet.*

Civilis, ut a naturali separata, est cum quis rem aliquando naturaliter possessam, non quidem actu corporis vel per se vel per alium, sed animi tamen adminiculo possidere pergit.

Mixta est, quando quis corporis et

ex Iure civili, tum Romano, tum Gallico. Accedit probatio etiam ex Iure can. deprompta. Sic enim iacet regula 3^a in 6^o: *Sine possessione praescriptio non procedit.*

Variis autem conditionibus gaudere debet possessio. Debet enim esse 1^o *dominativa*, seu res debet haberi animo proprietarii, non vero depositarii, etc.; — 2^o *publica*, id est non clandestina, ita ut res non occultetur de industria ei, contra quem praescribitur (19); — 3^o *tranquilla*, ita ut nulla litis contestatio de re intercesserit; — 4^o *certa*, hoc est non *equivoca*; — 5^o *continuata*, seu non *interrupta*, donec tempus requisitum compleatur.

III. Titulus.

583. — Titulus dicitur causa *per se* ad dominium transferendum sufficiens, v. gr. emptio, donatio, etc. Ex Iure Romano quadruplex titulus distingui solet, nempe verus, coloratus, putatus seu existimatus, et praesumptus.

Non requiritur quidem *titulus verus*, ut patet; secus enim possessor praescriptione non indigeret ad rem acquirendam; sufficit itaque *coloratus*, id est qui prae se speciem veri tituli ferat, licet in se ob occultum vitium verus non sit (20). — Pro praescriptione triginta annorum nullus

animi adminiculo rem ita actualiter possidet, ut nullus alius eiusdem rei possessionem civilem retineat. Haec est perfectissima possessio.

Apud iuris interpretes mentio fit etiam possessionis *civilissimae*, quando nempe ex dispositione legum dominium et possessio citra aliquem actum corporis (scilicet actum apprehendendi) verum vel fictum transfertur. Quam in rem facit *C. Ecclesia 3. De Causa Possess. et Propriet.*, et *C. Contingit 9. De dolo et contumacia.*

Porro ad praescriptionem inchoandam necessaria est non solum possessio *naturalis*, quippe sine actuali rei apprehensione, vera vel ficta, ne ipsa quidem inchoatur possessio, sed requiritur etiam *civilis*, quatenus et cum domini opinione, et cum voluntate rem uti suam possidere intendat. Asserta tamen *naturalis* possessionis necessitas non excludit, quominus sufficiat *civilissima*; nam cum ex

legum dispositione haec censeatur *vera possessio*, quoad effectus nihil differre a vera naturali civilique possessione debet. Vid. Reiffenst. lib. 2. tit. 26. n. 190.

(19) Secunda haec conditio, quam et cl. Scavini memorat (*De Praescript.* q. 4. n. 4.), desumpta est ex Codice Gallic. art. 2229. Sed manifestum est, eam ad forum externum spectare; nam quoad forum conscientiae ad rem non facit. Et sane quisquis quoad forum internum praescripturus est, oportet ut bona fide ignoret, rem non esse suam, atque uti suam retinere debet. Quorsum ergo monitum, ne possideat clandestine? Id valebit pro fure qui ideo occultet, ut a possessione tranquilla non perturbetur, donec praescriptionis tempus implere possit.

(20) Sufficit etiam titulus mere *putativus* seu existimatus, quando nimirum probabiliter creditur intervenisse titulus, qui tamen reipsa non affuit: v. gr. si heres cuiuspiam rem tradat tamquam huic ex te-

requiritur titulus, sed sola possessio sufficit etiam in conscientia, modo adsit bona fides; seu potius tunc habetur titulus praesumptus in ipso facto possessionis *tranquillae* per tantum temporis intervallum.

Ex Iure autem Gallico nullus requiritur titulus pro rebus mobilibus praescribendis (21). Hinc effatum: *Pro mobilibus possessio titulo aequivalet* (*C. C.* 2279.) (*). Unde qui rem detinet, eius dominus censetur, nisi contrarium probetur.

IV. Tempus requisitum.

584. — I. Quoad praescriptionem *acquisitivam*:

1^o Pro rebus *immobilibus* sine speciali titulo possessis requiruntur triginta anni ad praescribendum. — Cum titulo autem speciali decem anni requiruntur et sufficiunt, si verus dominus sit praesens, id est si habitet in eadem provincia, in qua situs est fundus praescriptioni obnoxius; si autem verus dominus sit absens, anni absentiae duplicantur. Haec autem provincia legibus particularibus determinatur.

In Gallia praesens dicitur verus dominus, si domicilium habeat in loco subiecto eidem Curiae superiori (*Cour d'appel*), in cuius territorio fundus iacet.

2^o Omnes actiones tam reales quam personales per 30. annos absque titulo praescribuntur.

3^o Servitutes *activae*, si sint continuatae et apparentes, praescribuntur

stamento legatam, quae tamen revera legata non fuit. Qua de re ita *L. 5. ff. Pro Legato: Ea res, quae legati nomine tradita est, quamvis dominus eius vivat, legatorum tamen nomine usucapitur* (*L. 6. ff. eod. tit.*), *si is, cui tradita est, mortui esse existimaverit*. Requiritur tamen, ut titulus affuisse rationabiliter existimetur.

(21) Hoc valere poterit pro foro externo, in quo utique praesumitur, rem ad eum pertinere, qui suam esse eam affirmat; etsi alioqui rei possessio nihil definiat, cum rem penes se possideant tum veri domini, tum fures quoque et latrones, uti frequens experientia testatur.

At quod possessio sic intellecta, nempe citra ullum titulum, valere possit in foro conscientiae, hypothesis est plane absurda. In foro enim conscientiae repugnat praescriptio sine bona fide. Bona fides autem

est iudicium, quo nostrum id esse credimus, quod ut nostrum volumus possidere. Atqui repugnat, quod aliquid esse nostrum existimemus, si nulla causa sit cur id putemus, nempe si nullus adsit titulus. Ergo sine titulo impossibile est inchoare possessionem bonae fidei, scilicet impossibilis est vel illa ipsa possessio, quam dicunt tituli locum tenere, cum sine titulo ne incipere quidem possim rem tamquam meam habere, seu pro mea possidere.

(*) Codex italicus paulo aliter art. 707. « Quod spectat ad bona ex sua natura mobilia et ad titulos (qui dicuntur *al portatore*), possessio producit eundem effectum ac titulus, in favorem *tertii*, qui sit *bona fide* ». Quoad vim legis Gallicae, cf. cl. Allegre *Le Code Civil commenté*, qui ostendere nititur, eam non esse verbo tenus accipiendam.